Cum tu auspice Victoriae aquilas in Principis satellitio secutus es, Clar.mo
Hugens; publicae gratulationi materiam, meis votis novam aream stravisti.
Quippe expugnata Grolla testem luculentum nactus, videor te parario in
victoriis usque sinum aditus invenire posse, si tibi aulico obsequio ad emolumen:
ta nostra frui libebit. Spondentis quidem syngrapham verbis hactenus clau:
sam tenemus, sed cui experimentorum fide efficacem manum addi malim,
si ita sors eventum disponet, ut novae spartae ortu evalere nos posse
confidas. Plurima vero occurrere quibus alienae miseriae sagina addi possit,
tu oculari arbitrio subinde decernis, ego auribus lativagis haurire soleo.
Absens tamen pollucibilitati meae posthabeor; cui patrocinij defectus in
mali complementum accedit, si tu rebus nostris invigilare negas. Sed cur
eodem Musarum commilitio auctoratum ad meliorem aleam vocare recuses? quip:
pe linguarum varia supellectile imbutus, nulli magis quam aulicae necessita:
ti ministrare dignus sum. Ne Medicinae pompa oculos tuos praestingam,
in qua veteranus multis collegarum latus claudo; ne aulae quidem sper:
nenda habilitate, aut si qua in aula confinio Andromeda se exerit. Me
studiorum diverticula ad censum vocentur, quorum subinde ea praesidia sunt
ut arcana eruditione profusius se ingerere noscant. Musicam me intelli:
gere puta, non unius ligni argutatione proferendam; atque extra trivium
quidem laude, si huc Minervam nostram revocari ratio est. Situm enim
enervandis digitis immensum posse, te non latet, quem dexteritate
psallendi nobilem Vacunâ quoque delumbari non ignoro. Atque haec quidem
officinae nostrae insignia sunt, si literaturae amaenioris congeriem secun:
dos forulos occupare permittas. Me autem proprijs laudibus aestuantem
venia ea prosequi debes, quâ misere obluctantes, quos durius fata premere
solent, quam ut silendo se ~~[illegible]~~ condant. Sed quid ad nenias antiquas redux
venio? quasi in postremis nostris diligentia haec obdormitarit; aut memoriae
tuae vaticinio sinistro percellar. Amicis enim tuis tenaciter adhaerere so:
les, in omnem spem pronus, et Musarum alumnis res domesticas defaecare
sedulus. Quod ut tenore nunquam delassando peragere tentes, postremis
precum sanctitum opto. Si tamen literarium officium ad manus relata humani:
tate mittere dignaberis, omni pretio majus beneficium reputabo. Vale Clar.mo
Hugens, & me amare perge. Amsterod. Prid. Cal. Novemb. CIↃ
IↃC XXVII.

Ick woone op de Angeliers graght naest de Engelsman

'S RYKS ARCHIEF

Aliena manu; mea enim occupatus hoc tantum
subscripsi

Tuus

Petrus Gruterus

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/292b

Clar^{mo} Doct^{moq}
Viro Conſtantino Hu:
genis Illuſtriſſimo Princi:
pi a ſecretis.

In den Hage.